

se animum, quo complecti dignatur fidelia eorundem servitia, et antea semper, et a tempore Belli hujus Borussici cumulata. Supremam bene gestis manum imposituros declarat Sua Majestas Sacratissima SS. et OO., si in moderna gravissima aerarii Caesareo-Regij necessitate interposita fide publica tantum Argenti in aerarium suum inferri posset, quantum pro futuro campi ductu adhuc desideratur. Desiderat nempe Sua Majestas Sacratissima, ut Suae Excellentiae Domino Comiti Regni Hungariae Palatino Plenipotencia Nomine Dominorum quoque Statuum et Ordinum detur, de levandis mutuo, erga quinque vel etiam sex per centum Interusurium, decem Millionibus florenorum; de hujus autem summae remuneratione quo securiores esse possint Domini Status et Ordines, Regias Assecutorias Litteras, in Archivo Regni Hungariae conservandas, ac in Authentica Copia Dominis quoque Statibus et Ordinibus extradandas, se extradaturam spondet; simulque pro speciali Hypotheca Vectigal Tricesimae et Proventus salis designat obligatque; nihil magis anxie cupiens, quam ut hac in re voti compos reddatur. Gravia Dominis Statibus et Ordinibus succurrerunt circa rem hanc rationum momenta, quando praeprimis reputarunt, quod, cum obligatio haec communi cum Hungariae Regno nomine assummi deberet, respectu Hungariae vero negotium novi oneris assummendi extra Diaetam tractari conficique nequeat, modalitas omnis Dominis Statibus et Ordinibus subtraheretur, vota Augustissimae explendi, praecipue vero cum Contributionis Regnorum horum negotium cum Contributione Hungarica permisceri non possit, hujus obligandi provincia Excellentissimo Domino Comiti Palatino sine gravi autoritatis Banalis praejudicio deferri per Dominos Status et Ordines nequeat. Accedit, quod cum fidejussoria cautio in solidum obligationem importet, in Casum Solvendorum aut Interusuriorum aut Capitalium alterutrum sequi deberet, vel quod praegravata misera Plebs tanto oneri succumberet, vel quod per creditores ejusmodi Capitalium Praerogativa Nobilitaris in discrimen adduceretur onerisque fundo inhaesio praetenderetur. Sed his omnibus major est Impossibilitatis ratio, quod Domini Status et Ordines, ut maxime cuperent, in statu non sint, modernis Suae Majestatis Sacratissimae necessitatibus ea ratione subveniendi; nam quia praeter 27 Millia florenorum Capitalium passivorum, quatuor item Millia in usus Nobilis Turmae Praetorianae designata, (ne quid de duodecim Millibus Suae Majestati Sacratissimae mutuo elocatis adducatur) nihil sit in Cassa reliquum, nisi stipendiorum tum Militarium, quam Provincialium exolutio; qui fundus, quia privatis ejusmodi jam obnoxius foret, statuique personali adaequate admensus atque adrepartitus haberetur, alteri cuiquam sine periculo fidei publicae obligari nequiret. Ex his proinde ponderosissimis rationum momentis determinarunt Domini Status et Ordines, Suae Majestati Sacratissimae rescribendum esse, quod homagiali eorum promptitudini Impossibilitas rei obstet, atque ideo altefatam Suam Majestatem Sacratissimam humillime exorandam venire, ut Dominos Status et Ordines a novo hocce onere clementer immunes conservare dignetur.

(Caeteris exmissis.)

Originale in Archivo Regni Croatiae.